nique ebrii putabantur, quibus spiritus sanctus inundabat. Ergo et hic fodit
torcular, in quod uuae rationabilis fructus interiore spiritali in-
fusione deflueret. Aedificauit turrem, uerticem scilicet legis
attollens, atque ita hanc uineam munitam, instructam, ornatam
locauit iudaeis, et tempore fructuum seruulos suos misit. Bene
tempus fructuum posuit, non prouentuum. Nullus enim fructus exstitit
iudaeorum, nullus uineae huius prouentus, de qua dominus ait: exspectaui
ut faceret uuas, fecit autem spinas. Itaque non laetitiae uino, non spi-
ritali musto, sed cruento prophetarum sanguine torcularia
redundarunt. Denique Ieremias in lacum missus est. Haec enim e-
rant iam torcularia iudaeorum, non uino repleta, sed cruore.
Et licet generaliter prophetae uideantur expressi, dat tamen lectio ut illum qui lapidatus
est Nabaoth esse credamus, cuius etsi nullum accepimus propheticum uerbum, accepimus
tamen propheticum factum, quia multos per hanc uineam futuros martyres pro Christo sanguine
prophetauit. Quis autem est ille qui in capite uulneratus est? Nimirum Esaias, cuius faciles
compagem corporis serra diuisit, quam fide inclinauit constantiaue detinuit
aut uigore mentis exsecutus. Vel hoc ergo factum est, ut cum plures alios destinasset,
quos iudaei inhonoros et inanes s̄ de quibus nihil potuerunt proficere dimiserunt,
nouissime etiam filium unigenitum mitteret, quem perfidi quasi heredem remouere
cupientes occiderunt crucifigendo, eiecerunt negando. Breuiter itaque quam
magna, quam multa. Primum quia naturalis est bonitas, quae plerumque credit in di-
gnis; deinde quia postremum malorum remedium Christus aduenit; tum quod
qui heredem negat, de auctore desperat. Heres autem Christus, ideoque testator he-
res, quia morti suae superuiuit, et testamentorum quae ipse condidit tamquam heredi-
taria muneris perfectibus emolumenta consequitur. Pulchre quoque interrogat, ut
sua se ipsi damnent sententia. Uenturum autem dominum dicit uineae, quod in filio
adsit etiam paterna maiestas, uel quod ultimis temporibus praesentior humanis as-
piret affectibus. Ipsi itaque in se sententiam dicunt, ut mali pereant et ad
alios colonos uinea transferatur. Q' ergo fr̄ coloni, quae uinea, consideremus. Ui-
nea typus noster est, quod populus dei uitis aeternae radice fundatus supereminet